



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 91. Nuntius a Papa Melitam hac in causa decretus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.

Senatus habito consilio Romegasium qui Tolosæ, & Hybernæ Prior erat, in supremum Ordinis Legatum creaturus esset. Præterea summus Magister quatuor alios, eosque potentissimos hostes numerabat, quorum primus erat Cressinus Ecclesiensis Prior præ ceteris omnibus vehementissimus, II. Riwal-tus Prætor per Montani electionem supremo Magisterio frustratus, III. Duerus Vicarius, IV. Maillus Sacquenvilla Commendator, qui a Romegasio ad dignitates euectus secretorum illius arbiter erat. Hi quatuor conjurationis Duces ex Senatus decreto supremum Magistrum comprehendunt, eumque tanquam reum ad arcem sancti Angeli deducunt, ut ibi captus detineretur: verum hi rebelles, cum vererentur, ne Papa utpote totius Ordinis Superior, in hoc scelus inquireret, atque eorum temeritatem detestaretur, Romam tres ablegabant Oratores.

§. XCI.

Nuntius a Papa Melitam hac in causa decretus.

Thu. l. c.
Vertot. t. 4.

Nihilominus supremus Magister, quamvis arcte inclusus, quadam tamen temporis opportunitate usus Romam quatuor Equites sibi addictos ablegabat, qui summo Pontifici exponerent, quod

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.

quod spe fretus viveret, se a summo Pontifice utpote supremo Ordinis Capite adversus suorum Fratrum rebellionem esse protegendum, cum absque ulla causa, & sine ulla legitima auctoritate ab illis sua dignitate spoliatus, & custodiæ datus fuisset: postquam igitur utriusque partis Deputati Romam venerant, hi, qui Magistro adversabantur, Pontifici exponebant, quod Magister gravi Senio pressus, cunctisque viribus exhaustus administrandæ Reipublicæ omnino incapax esset: verum Papa horum relationi nequaquam fidem adstruens quantocius Casparum Vicecomitem Rotæ Auditorem tanquam Sedis Apostolicæ Legatum Melitam decernebat, dato negotio, ut Pontificis nomine tam Magistro, quam Romegasio denuntiaret, quatenus ambo nulla mora Romam venirent, ibidem causam suam coram sacra Sede defensuri: interea vero Vicecomes unacum Senatu ex saniori, ac seniori parte conflato Ordini præesset. Legatus hic Melitam delatus omnium Equitum comitia indixit, in quibus Papæ mandata exponebat: interea vero quidam Eques Franciæ Regis nomine pariter Melitam venit, qui supremo Magistro significaret, quod Galliarum Rex indignam agendi rationem, quam a suis Religio-

sis

Sæcul. XVI. A.C. 1581. sis sufferre coactus fuit, iniquo prorsus animo ferret, fidemque faceret, se ad compescendos hosce rebelles omnes vires suas impensurum.

§. XCII.

Supremus Magister Romam delatus, atque a Pontifice perbenigne exceptus.

Thuan. & Spond. l. c.

Supremus Magister æque, ac Romæ galus ejusdem delator Melita discedunt, Magistrum vero plusquam trecenti Equites comitabantur, eumque Romam usque deducebant, ubi die vigesima sexta Octobris adventans, triumphatoris more a Cardinalibus, Principibus, & Oratoribus excipiebatur, atque ex illis plures eidem etiam obviam procedebant: postea autem Magister ad palatium Atestini Cardinalis, qui Gallorum Protector erat, divertens ab eodem Purpurato ad Pontificis alloquium deducebatur, quem etiam idem Papa unacum decem Cardinalibus præstolabatur, eumque insolitis benevolentia, amorisque signis excipiens illius sortem condolebat, atque eum solabatur: mox vero Magister Pontificis pedes deosculatus, repentis gratis pro vindicanda sua innocentia his verbis coram Papa perorabat: „Habeo im-
mensas omnipotenti Deo gratias, quod
„mih